

PONTIFICIUM CONSLIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXXIV - N. 2

---

2002

# COMMUNICATIO<sup>N</sup>E<sup>S</sup>

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI<sup>S</sup> 2002

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Lex de gubernatione Civitatis Vaticanae (16.VII.2002) . . . . .	151
Allocutio ad quosdam Brasiliae Episcopos Limina Apostolorum visitantes (21.IX.2002) . .	167
Ex Allocutione ad quosdam Brasiliae Presules Limina Apostolorum visitantes (26.X.2002) .	173
Ex Allocutione ad quosdam Brasiliae Episcopos Sacra Limina visitantes (16.XI.2002) . .	176

## EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE . . . . .	178
--	-----

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO CLERICIS . . . . .	180
<i>Ex Instructione de presbytero pastore et duce communitatis paroeciae</i> . . . . .	180
CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA . . . . .	196
<i>Decretum quo ordo studiorum in Facultatibus Iuris Canonici innovatur</i> . . . . .	196

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XV) . . . . .	201
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XVI) . . . . .	230
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XVII) . . . . .	263
NOTITIAE . . . . .	281
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA . . . . .	283
INDEX GENERALIS . . . . .	287

**COETUS STUDIORUM  
« DE MATRIMONIO »**

**Sessio XVI<sup>a</sup>**  
(dd. 6-10 novembris 1972 habita)

Diebus 6-10 novembris 1972, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas CIC de iure matrimoniali.

Interfuerunt sequentes Consultores: Exc.mi Casoria et Bank; Ill.mi ac Rev.mi Damizia, Quinn, Chen, Garcia Barberena, Cremin, Flatten, Che; Rev.di P.P. Huizing et Leclerc; et Cl.mus Giacchi.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev.dus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Octavae adunationi praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis; ceteris adunationibus praefuit Rev.mus P. Bidagor.

Rev.dus P. Huizing functus est munere Relatoris et Rev.dus Voto mune-  
re actuarii.

In praesenti Sessione examinatae sunt sequentes quaestiones:

- de solutione matrimonii in favorem fidei;
- de separatione tori, mensae et habitationis (cc. 1128-1132);
- de convalidatione simplici (cc. 1133-1137).


De propositis quaestionibus sequentes Consultores votum paraverunt:  
Schneider, Fagiolo, Matulaitis Labukas, Quinn, Chen, Barberena, de Clercq, Cremin, Che et Leclerc.

Rev.mus Relator supra vota Consultorum relationem apparavit.

**Adunatio I<sup>a</sup>**  
**die 6 novembris 1972 – mane habita**

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et petit utrum ipsis placeat Relatio laborum Sessionis praecedentis, dd. 22-27 maii 1972 habitae, necne.

Rev.mus secundus Consultor indicat aliqua menda transcriptionis.  
His positis, relatio omnibus placet.



Deinde Rev.mus Relator proponit quaestiones in praesenti Sessione examinandas, et primo utrum opportunum sit ponere necne in novo Codice canonem novum de solutione matrimonii in favorem fidei.

Fere omnes Consultores censem non solum esse opportunum, sed etiam necessarium novum canonem de solutione matrimonii in favorem fidei ponere in hac parte de iure matrimoniali. Cum enim in iure processuali redactum sit, a Coetu competenti, schema canonum pro causis solutionis matrimonii in favorem fidei, patet opportunum, immo necessarium esse habere normam in iure substantiali, quae sit veluti fundamentum et fons illorum canonum iuris adiectivi.

Rev.mus Relator proponit hanc formulam novi canonis:

*Canon 1127 bis:*

« Matrimonium initum a parte baptizata cum parte non baptizata a Romano Pontifice dissolvi potest in favorem fidei alterutrius partis, dummodo certo constet matrimonium deinceps non factum fuisse ratum et consummatum ».

Rev.mus Relator censet quod, attenta praxi nunc vigenti ex parte Sanctae Sedis, non expedit pro nunc extendere canonem ad casum quoque solutionis matrimonii duorum non baptizatorum.

Rev.mus Relator praeterea monet Consultores ut prae oculis etiam habeantur normae redactae a Coetu de processibus circa solutionem matrimonii in favorem fidei et in specie consideretur canon 2, qui ita se habet:

« *Gratia solutionis numquam conceditur nisi ex processu probe com- pertum fuerit in singulis casibus adesse conditiones quae sequuntur:*

*1º carentia baptismatis in alterutro (saltem) coniuge, perdurans toto tempore vitae coniugalnis;*

*2º matrimonium consummatum non fuerit post baptismum susceptum a parte quae non erat baptizata;*

*3º moralis impossibilitas restorationis vitae coniugalnis;*

*4º absentia scandali vel admirationis;*

*5º novum matrimonium cum parte catholica contrahatur».*

Hic canon, dicit Rev.mus Relator, iam continet quaedam elementa, quae pertinent ad ius substantivum et ideo considerari forsan debet num talis canon transferri possit in partem nostram de iure matrimoniali.

Ill.mus tertius Consultor tenet hunc canonem pertinere ad ius substantivum; apud civilistas, enim, normae, quae determinant conditiones et probationes, computantur communiter inter normas iuris substantivi, normae autem, quae determinant modum colligendi et afferendi probationes, recensentur inter normas iuris adiectivi.

Rev.mus Secretarius animadvertisit solutionem matrimonii in favorem fidei non esse ius sed *gratiam*, concessam a Summo Pontifice. Iamvero non appetet quomodo probationes et conditiones requisitae ad aliquam gratiam obtinendam constituere possint ius substantivum.

Rev.mus quartus Consultor censem conditiones pro solutione in favorem fidei apte recenseri posse sive in canone aliquo indolis substantivae, sive in aliquo canone indolis adiectivae. De facto etiam in formula novi canonis, a Rev.mo Relatore proposita, continentur conditiones requisitae ad solutionem matrimonii dandam («...dummodo certo constet...»). Ex alia parte ratio haberi debet animadversionis Rev.mi Secretarii. Ideo, ad omnia componenda, sequens solutio perpendi potest:

- in can. 1127-bis statuatur principium generale «Matrimonium initum... a Romano Pontifice dissolvi potest in favorem fidei alterutrius partis»;
- in alio canone (1127 ter) inserantur normae citati can. 2 iuris processualis.

Exc.mus quintus Consultor concordat cum Rev.mo Secretario et ideo proponit ut novus can. 1127 bis contineat tantum enuntiationem principii potestatis Summi Pontificis ut solvatur matrimonium in favorem fidei, et canon de conditionibus ad obtinendam talem gratiam ponatur in parte processuali. Si haec propositio non placet, saltem sumenda est solutio proposita a Rev.mo quarto Consultore.

Rev.mus secundus Consultor: Ad ius substantiale pertinet definire quibus in casibus haec gratia dari possit; ad ius autem processuale pertinet definire quanam via haec gratia dari possit. Iamvero citatus can. 2, ab alio Coetu redactus, continet materiam iuris substantivi et ideo transferri deberet in hanc partem de matrimonio. Considerare tamen oportet non omnes conditiones, numeratae in illo canone, eundem valorem habere: primae duae conditiones sunt revera fundamentales, sine quibus gratia concedi nequit; aliae conditiones vero pertinent ad rectum usum potestatis Summi Pontificis. Ideo tales conditiones distribui debent in duobus canonibus distinctis, secundum eorundem momentum.

Rev.mus sextus Consultor concordat cum Rev.mo secundo Consultore

circa diversum momentum illarum conditionum et circa opportunitatem illas describendi in duobus distinctis canonibus.

Etiam Ill.mus tertius Consultor concordat cum Rev.mo secundo Consultore.

Rev.mus Secretarius, ad confirmandam suam sententiam antea prolatam, legit prima verba citati canonis 2 iuris processualis, id est: «*Gratia solutionis numquam conceditur nisi...*». Iamvero illud «*numquam*» non potest sese referre nisi ad aliquam praxim, et non potest habere valorem principii, eo vel masis quod in hac materia quaedam dubia in ordine theologicō adhuc solvenda sunt. Ideo convenit illum can. 2 relinquere in parte processuali.

Rev.mus Relator censet non pertinere ad hunc Coetum iudicare de propositione alterius Coetus. Huius Coetus est definire quid dicendum sit in can. 1127 bis, de quo habetur propositio alicuius formulae. Ideo convenit examinare illam formulam.

Consultores concordant cum Rev.mo Relatore et ideo discussio habetur de formula can. 1127 bis, ab ipso Rev.mo Relatore nuper proposita, scilicet:

«*Matrimonium initum a parte baptizata cum parte non baptizata a Romano Pontifice dissolvi potest in favorem fidei alterutrius partis, dummodo certo constet matrimonium, deinceps non factum fuisse ritum et consummatum.*»

Exc.mus quintus Consultor: formula substantialiter placet; forsitan melius est dicere simpliciter: «...dummodo certo constet *matrimonium non fuisse ratum et consummatum*», loco «*deinceps non factum fuisse...*».

Rev.mus quartus Consultor: supprimatur integra clausula «*dummodo...*» et fiat remissio ad can. 2 iuris processualis de solutione matrimonii in favorem fidei.

Haec propositio Rev.mi quarti Consultoris non placet Rev.mo Secretario, quia haberetur quaedam commixtio iuris substantivi cum iure adiectivo.

Rev.mus quartus Consultor censet propositionem suam non esse novam et miram quoad methodum, quia iam in Codice vigenti (can. 103) habetur casus remissionis ad ius processuale; tamen ratio praecipua sua propositionis est quia aspectus quidam iuris substantivi, in hac materia, dependent a solutione quarundam quaestionem theologicarum; et ideo, interim, melius est remittere ad canonem iuris processualis, qui continet praxim nunc vigentem, circa conditiones requisitas ad gratiam solutionis concedendam.

Rev.mus septimus Consultor approbat formulam Rev.mi Relatoris prout est.

Etiam Rev.mus octavus Consultor approbat substantialiter formulam Rev.mi Relatoris, et dicit se non consentire cum Rev.mo quarto Consultore circa remissionem ad canonem processualem.

Rev.mus secundus Consultor, cui consentiunt Rev.mi quartus et octavus Consultores, vellet extendere canonem ad casum quoque solutionis matrimonii duorum non baptizatorum.

Rev.mus Relator notat quod iste casus solutionis matrimonii duorum non baptizatorum inclusus est a Coetu de iure processuali in citato canone 2, et ideo videtur opportunum ut ipse Coetus noster idem faciat.

Rev.mus Secretarius monet Consultores ne in ius substantivum introducatur iste casus usque dum non habeatur solutio quaestionum theologiarum memoratarum. Redactio canonis, facta a Coetu iuris processualis, respondet praxi aliquo saltem tempore habitae, et certo conformari ipsa quoque debet solutionibus illarum quaestionum theologiarum.

Rev.mus secundus Consultor praeterea proponit ut ultima clausula canonis ita redigatur: «... dummodo matrimonium non fuerit consummatum postquam ambo coniuges baptizati fuerint».

Rev.mus Relator querit utrum placeat haec formula necne:

«Matrimonium initum a partibus, quarum una saltem baptizata non fuit, a Romano Pontifice dissolvi potest in favorem fidei, dummodo matrimonium non fuerit consummatum postquam coniuges baptizati fuerint».

Placet 8; placet iuxta modum 1; abstinet a sententia ferenda 1.

#### *Modus:*

Dicatur «...in favorem fidei *alterutrius partis*, dummodo...» (Exc.mus quintus Consultor):

Placet 3; non placet 6; abstinet 1.

#### **Adunatio II<sup>a</sup>** **die 7 novembris 1972 - mane habita**

##### *Art. II – De separatione tori, mensae et habitationis*

Rev.mus Relator refert propositionem, quae habetur in voto Exc.mi noni Consultoris, ut nempe iste Articulus II fiat caput distinctum, quod

inscribatur « De separatione tori, mensae et habitationis », et articulus precedens fiat etiam caput distinctum quod inscribatur « De dissolutione vinculi ». Congruum enim videtur quod res valde inter se discrepantes (solutio et separatio) non sub unico capite ponantur, prout nunc fit in Codice.

Rev.mus quartus Consultor praefert dispositionem rubricarum prout est in Codice. Potius, ille dicit, corrigenda est inscriptio Articuli II, quia in canonibus 1128-1132 sermo est de « separatione », sine ulla determinatione circa torum, mensam et habitationem. Nova inscriptio posset esse: « De separatione manente vinculo ».

Rev.mus decimus Consultor opportunum censet ut saltem in inscriptione tituli servetur mentio separationis *tori, mensae et habitationis*.

Exc.mus undecimus Consultor proponit ut canones ita disponantur ut prius sermo sit de separatione et postea de dissolutione vinculi.

Rev.mus sextus Consultor praefert propositionem Exc.mi noni Consultoris et simul concordat cum Exc.mo undecimo Consultore circa ordinem canonum.

Exc.mus quintus Consultor et Rev.mi septimus et duodecimus Consultores concordant cum Rev.mo quarto Consultore.

Post hanc discussionem, sequentes suffragationes habentur:

1. utrum placeat ut canones de dissolutione et de separatione maneant sub eodem capitulo necne:

Placet 5; non placet 4.

2. utrum plaecat ut canones de separatione ponantur primo loco necne:

Placet 2; non placet 5; abstinent a sententia ferenda 2.

3. utrum placeat haec inscriptio Art. II: « De separatione manente vinculo » necne:

Placet 7; non placet 2.

### *Canon 1128*

Rev.mus Relator censet can. 1128, prout est in Codice, habere indolem moralem, quae potius ad vitam privatam coniugum spectat. Finis autem huius articuli Codicis est statuere obligationes iuridicas et iura, quae habent etiam dimensionem socialem. Rev.mus Relator ita novam formulam proponit:

« Coniuges erga invicem ius habent ad vitae coniugalis communionem, nisi eo legitime privati fuerint ».

Rev.mus quartus Consultor approbat hanc formulam. Item illam approbant Exc.mus quintus Consultor et Rev.mus sextus Consultor, qui tamen volunt ut tribuatur coniugibus non tantum ius, sed etiam *officium* ad communionem vitae conugalis.

Alii Consultores preferunt formulam Codicis, quia:

- est magis flexibilis, praesertim in secunda parte (Rev.mus decimus Consultor);
- quia communio vitae non est ius, sed obligatio quae consequitur ad ipsum matrimonium (Exc.mus undecimus Consultor);
- quia illa obligatio habet indolem iuridicam et non tantum moralem (Rev.mus secundus Consultor);
- quia nova formula Rev.mi Relatoris est aequivoca quando dicit: « nisi eo legitime privati fuerint », quasi requiratur semper interventus legitimae auctoritatis ad habendam separationem (Rev.mus secundus Consultor).

His dictis, suffragatur utrum placeat can. 1128 prout est in Codice necne:  
Placet 5; non placet 2; placet iuxta modum 2.

*Modi:*

(1) dicatur « nisi iusta causa eos excuset, vel officio ab eadem legitime liberentur » (Exc.mus quintus Consultor):

Placet 1; non placet 8.

(2) dicatur « Coniuges habent ius et officium servandi communionem vitae coniugalis... » (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 6; non placet 3.

(3) dicatur « ... nisi legitima causa eos excuset » (Rev.mus quartus Consultor)

Placet 6; non placet 3.

*Canon 1129*

In discussione praeclarissima pro revisione canonis 1129 duae quaestiones examinatae sunt, scilicet de nimia severitate normae Codicis et de specifica et peculiari consideratione adulterii, p[ro]ae ceteris causis, in ordine ad separationem coniugalem.

*a) de mitigatione canonis 1129*

Rev.mus Relator dicit durum esse omne adulterium, vel semel commissum, secumferre privationem perpetuam iuris ad vitae coniugalis communionem. Quid de bono proli? quid de obligatione christiana condonatio-  
nis?

Quare Rev.mus Relator accipit suggestionem factam a Rev.mo sexto Consultore, in suo voto, et formulam ita redigendam proponit:

« Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, non iam stricte obligatur, saltem ad tempus, vitae coniugalis communionem servare, nisi in adulterium consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque adulterium commiserit ».

Exc.mus quintus Consultor et Rev.mi septimus et primus Consultores defendant formulam Codicis, quae dat ius ad separatio-  
nem. Mitigatio, si forte necessaria videtur, provenire debet ex cura pastorali, qua coniuges inducantur ad clementiam, ita ut hoc iure cum moderatione utantur.

Circa opportunitatem mitigandi can. 1139 concordant Exc.mus undeci-  
mus Consultor et Rev.mi decimus, quartus, secundus et sextus Consul-  
tores.

Ad hanc mitigationem consequendam haec proponuntur a Consul-  
toribus:

Rev.mus quartus Consultor vult retinere formulam Codicis, his muta-  
tionibus inductis: supprimi possunt verba « etiam in perpetuum » et, loco  
« ius habet solvendi vitae communionem », dici potest: « liberatur ab obli-  
gatione servandi vitam communem ».

Rev.mus secundus Consultor vult concedere parti innocentis ius sol-  
vendi communionem vitae, pro suo lubitu, si separatio sit ad tempus;  
pro separatione vero perpetua intervenire debet decretum legitimae auc-  
toritatis.

*b) utrum singulariter de adulterio agi debeat ut causa separationis necne*

Rev.mus Relator notat quod in lege vigenti indicantur causae ob quas oritur ius ad solvendam communionem vitae. Inter has causas speciale momentum obtinet adulterium, quia opinio communis erat hanc praxim habere fundamentum aliquod in Evangelio. Nunc autem temporis talis opi-  
nio non iam ab omnibus tenetur.

In novo Codice, dicit Rev.mus Relator, opportunum est ne respiciantur

causae, ex quibus oriri possit ius ad solvendam communionem vitae, sed potius respiciatur situatio de facto existens inter coniuges; id est, si convictus coniugalis sit moraliter impossibilis et intolerabilis, vel notabiliter nocivus pro educatione prolis. In can. 1081, § 2 enim sermo factus est de consortio vitae coniugalis in quod tendit consensus; et nunc debemus esse consequentes, ita ut, si tale consortium sit intolerabile vel notabiliter nocivum pro educatione prolis, iam coniuges separari possint.

Consultores in genere non approbant hanc mutationem structurae canonum et volunt ut sermo fiat de causis ob quas coniuges separari possint, et quidem ut peculiariter agatur de adulterio tamquam causa separationis.

In specie sequentes sententiae prolatae sunt:

Rev.mus secundus Consultor: adulterium est factum aliquod praeteritum per se stans; aliae autem causae producunt suos effectus pro praesenti et pro futuro. Ideo adulterium non potest considerari una simul cum aliis causis.

Rev.mus sextus Consultor: sive in ordine theologico sive in ordine anthropologico adulterium est factum talis momenti ut peculiariter modo considerari debeat ut causa solutionis communionis coniugalis.

Rev.mus primus Consultor: adulterium considerari debet peculiariter modo, quia in ipso Evangelio habetur fundamentum huius causae separationis. Ceterum etiam ius civile, non obstante evolutione morum, tribuit speciale momentum adulterio tamquam causae separationis.

Rev.mus quartus Consultor: consideratio Rev.mi Relatoris de mutata structura can. 1081, § 2 habet suum momentum, non tamen ut mutemus structuram canonum de separatione, sed eo sensu quod, in casu adulterii, attendi debet non merum factum carnale, sed eius effectus contra pacificam conviventiam coniugalem. Quare pro solutione perpetua communionis vitae, ob adulterium alterius coniugis, requiri debet interventus competenter auctoritatis, cuius est iudicare utrum, ob adulterium, consortium vitae intolerabile sit necne.

Rev.mus sextus Consultor petit a Rev.mo quarto Consultore num talis interventus legitimae auctoritatis haberi debeat tanquam declarativus iuris separationis, an tamquam constitutivus ipsius iuris.

Rev.mus Secretarius censet talem interventum auctoritatis esse tantum declarativum.

Rev.mus quartus Consultor autem respondet talem interventum, pro sua sententia, etiam constitutivum esse posse. Attamen quaestio haec non est solvenda in Codice, quia pertinet ad doctrinam.

**Adunatio III<sup>a</sup>**  
**die 7 novembris 1972 – vespera habita**

Suffragatur utrum placeat agere specificē et peculiariter de adulterio ut  
causae separationis necne:

Placet 8 – abstinet a sententia ferenda 1.

Rev.mus Relator proponit hanc novam formulam can. 1129:

« § 1. – Adulterium coniugis alteri coniugi legitimam praebet excusationem ab obligatione servandi vitae coniugalnis communionem, nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit.

« § 2. – Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de adulterio certior factus est, sponte maritali affectu cum altero coniuge conservatus fuerit, vel vitae coniugalnis communionem servaverit.

« § 3. – Coniux adulter qui se iniuste derelictum censem, ius habet recurriendi ad Ordinarium loci ».

Circa § 1 sequentes animadversiones fiunt:

Exc.mus quintus Consultor: haec norma longe distat a correspondenti norma Codicis, ita ut adulterium nihil peculiare habeat et iam assimilari possit aliis causis separationis;

Rev.mi decimus, duodecimus et primus Consultores autem coniugem innocentem non tantum excusari, sed habere ius ad solvendam communionem vitae. Notio excusationis, addit Rev.mus primus Consultor, pertinet ad mores non ad ius;

Rev.mi septimus, secundus et primus Consultores praferunt formulam Codicis, a qua, de sententia Rev.mi secundi Consultoris, supprimi debent verba « etiam in perpetuum ». Praeterea, addit Rev.mus secundus Consultor, magni momenti est clausula « manente vinculo », quae servari debet;

Rev.mi quartus et sextus Consultores approbant, quoad substantiam, formulam Rev.mi Relatoris. Rev.mus sextus Consultor vult ut melius ponatur in luce ius partis innocentis;

Rev.mus Secretarius censem ex hoc canone expungi debere verbum « crimen », quod sapit nimiam severitatem et praeterea pertinet ad ius poenale;

Rev.mus secundus Consultor notat locutionem « praebet ius » non esse veram: ius non provenit ex adulterio, sed a legislatore. Ideo melior est locutio Codicis « ius habet ».

His animadversionibus consideratis, Rev.mus Relator petit utrum placeat haec formula § 1 necne:

«Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi vitae coniugalis communionem, nisi in illud consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit vel ipse quoque adulterium commiserit».

Suffragatio fit per singulas partes canonis:

1. «*Propter coniugis adulterium...coniugalis communionem*»:

Omnibus placet.

2. «*nisi in illud consenserit*»:

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur «nisi in adulterium consenserit», ratione claritatis, quia verbum «illud» referri posset ad verbum «vinculum».

Suffragatur utrum placeat «nisi in adulterium consenserit» necne;

Omnibus placet.

3. «*aut eidem causam dederit*»:

Rev.mus quartus Consultor proponit suppressionem huius clausulae, quae tandem aliquando idem dicit ac clausula praecedens. Dare causam enim importat aliquam complicitatem, aliquam scilicet activitatem conscientiam ex qua, in casu, quis adigitur ad adulterium faciendum: quod idem est ac consentire in adulterium.

Rev.mus secundus Consultor negat sententiam Rev.mi quarti Consultoris, quia qui dat causam non semper praevidet neque vult effectum.

Rev.mus Relator proponit ut dicatur «aut eidem culpabiliter causam dederit».

Suffragatur utrum placeat retinere clausulam «aut eidem causam dederit» necne:

Placet 4; non placet 3; placet iuxta modum 2.

*Modi:*

(1) dicatur «aut eidem *scienter* causam dederit» (Exc.mus quintus Consultor):

Placet 2; non placet 7.

(2) dicatur «aut eidem *culpabiliter* causam dederit» (Rev.mus sextus Consultor):

Placet 4; non placet 5.

4. «*vel illud expresse aut tacite condonaverit*»:

Suffragatur utrum placeat retinere hanc clausulam necne:

Omnibus placet.

5. «*vel ipse quoque adulterium commiserit*»:

Rev.mus quartus Consultor quaerit quid iuris si coniux innocens adulterium ipse quoque committit post solutionem communionis vitae coniugalnis: hoc adulterium habetne effectum retroactivum ita ut communio coniugalnis repristinari debeat? Ad hoc dubium solvendum Rev.mus quartus Consultor petit ut determinetur tempus validitatis huius exceptionis.

Rev.mus secundus Consultor negat possibilitatem retroaktivitatis adulterii alterius partis, postquam solutio communionis habita sit, quia fundamentum huius solutionis ortum habuit ex iure, non ex adulterio a parte commisso.

Rev.mus Relator censet quod haec quaestio non est solvenda in hoc canone; si placet illam solvere, locus aptus erit in canonibus sequentibus.

Suffragatur utrum placeat exceptio «*vel ipse quoque adulterium commiserit*» necne.

Omnibus placet.

Deinde examinatur formula § 2, scilicet: «*Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de adulterio certior factus est, sponte maritali affectu cum altero coniuge conversatus fuerit, vel vitae coniugalnis communionem servaverit*».

Circa hanc formulam sequentes animadversiones habentur:

Rev.mus secundus Consultor non videt necessitatem distinguendi inter conversationem et communionem coniugum. Sufficit dicere in canone de perseverantia communionis vitae, quae etiam conversationem comprehendit. Tamen si placet retinere in canone «*conversationem*» et «*communionem*», necesse est ut verba «*sponte maritali affectu*» referantur sive ad unam sive ad alteram: quod non liquet in praesenti formula.

Rev.mus quartus Consultor censet quod «*conversatio coniugalnis*» indicat tantum relationem sexualem, quae stare potest etiam sine communione vitae.

Iamvero verbum « *sponte* » referri debet sive ad « communionem » sive ad « conversationem »; verba autem « maritali affectu » referri debent tantum ad « conversationem », quia ad communionem vitae sufficit ut sit spontanea.

Exc.mus quintus et Rev.mi secundus, sextus et decimus Consultores petunt ut in praesenti § 2 sermo fiat etiam de condonatione praesumpta, prout in CIC.

Rev.mus Relator et Rev.mus duodecimus Consultor censem non esse necessarium facere expressam mentionem condonationis praesumptivae, quia haec praesumptio est implicita in facto quod coniuges perseverent in sua conversatione vel in communione vitae.

**Adunatio IV<sup>a</sup>**  
**die 8 novembris 1972 – mane habita**

Rev.mus Relator petit utrum placeat haec formula can. 1129, § 2 necne:

« Tacita condonatio habetur si coniux innocens, postquam de adulterio certior factus est, cum altero coniuge maritali affectu conversatus fuerit vel vitae coniugalnis communionem servaverit ».

Placet 5; placet iuxta modum 3; abstinet a sententia ferenda 1.

*Modi:*

(1) dicatur « ... *sponte* cum altero coniuge maritali affectu... » (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 6; non placet 3.

(2) supprimantur verba « vel vitae coniugalnis communionem servaverit » (Rev.mus secundus Consultor):

Placet 6; non placet 3.

Deinde suffragatur utrum placeat retinere in canone mentionem condonationis praesumptivae necne:

Placet 8; non placet 1; abstinet a sententia ferenda 1.

Rev.mus Relator proponit ut § 2 compleatur his verbis: « ...; praesumitur vero si per sex menses vitae coniugalnis communionem servaverit, neque causam separationis ad auctoritatem ecclesiasticam detulerit ».

Suffragatur utrum placeat haec additio necne:  
Placet 6; non placet 1; placet iuxta modum 3.

*Modi:*

(1) dicatur « neque causam ad auctoritatem detulerit » (Rev.mus octavus Consultor):

Placet 2; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) dicatur « ... neque recursum apud auctoritatem ecclesiasticam vel civilem fecerit » (Rev.mus sextus Consultor):

Placet 6; non placet 1; abstinent a sententia ferenda 3.

(3) dicatur: « neque causam separationis detulerit » (Rev.mus primus Consultor):

Placet 2; non placet 8.

Rev.mus Relator deinde mutat propositionem suam de § 3 hoc modo:

« § 3. – Si coniux innocens sponte communionem vitae coniugalis solverit, debet intra sex menses causam separationis ad competentem auctoritatem deferre ».

Sensus huius propositionis, dicit Rev.mus Relator, est negare partibus facultatem instaurandi separationem perpetuam sine interventu publicae auctoritatis.

Circa hanc propositionem sequentes animadversiones habentur:

Exc.mus quintus Consultor: norma erit clarior si ita perficiatur: « ... debet intra sex menses causam separationis sive temporariam sive perpetuam ad competentem auctoritatem ecclesiasticam deferre ».

Rev.mus decimus Consultor: non placet verbum « sponte ». Recursus ad auctoritatem proponi debet tantum ad separationem perpetuam faciendam; pro separatione temporaria, etiam ultra sex menses, non debet imponi recursus ad auctoritatem.

Rev.mus duodecimus Consultor: recursus ad auctoritatem non debet imponi, quia hoc modo multiplicarentur causae; sufficit dicere « ... potest intra sex menses causam separationis ad competentem auctoritatem deferre ».

Rev.mus quartus Consultor: durum est imponere ut recurratur *semper* ad auctoritatem et quidem post brevem terminum sex mensium ab instau-

rata separatione. Norma mitior redigi potest hoc modo: « Nisi vita coniugalis ex mutuo consensu denuo instaurata sit, coniux adulter, qui se gravatum sentit, potest intra annum, a dissoluta vita communi, ad iudicem ecclesiasticum recursum facere ».

Rev.mus secundus Consultor: haec norma est necessaria, tamen perficienda est ita ut appareat: a) quid facere debeat auctoritas, quando ipsi defertur causa separationis et, b) coniugem innocentem amittere ius ad separationem nisi intra sex menses causam ad competentem auctoritatem detulerit.

Rev.mus octavus Consultor: haec norma pertinet potius ad ius processuale. Coniux innocens non amittit ius separationis, etiamsi non deferat causam intra sex menses ad auctoritatem.

Rev.mus sextus Consultor: non debet *imponi* recursus ad auctoritatem et termini sex mensium dilatari debent.

Rev.mus Relator petit utrum placeat haec formula necne:

« Si coniux innocens sponte vitae coniugalis communionem solverit, nec eam restaurare velit, debet intra sex menses causam separationis deferre ad competentem auctoritatem, quae, omnibus consideratis circumstantiis, decernat utrum separatio legitime protrahi possit sive temporanea sive perpetua ».

Placet 4; non placet 3; placet iuxta modum 3; abstinet a sententia ferenda 1.

*Modi:*

(1) supprimatur secunda pars canon: « quae omnibus consideratis... » (Exc.mus quintus Consultor):

Placet 4; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) canon in fine ita compleatur: « sex mensibus praeter-lapsis, quin auctoritas adeatur, ius separationis amittitur » (Rev.mus secundus Consultor):

Placet 2; non placet 8; abstinet a sententia ferenda 1.

(3) omittantur verba « nec eam restaurare velit » (Rev.mus primus Consultor):

Placet 7; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

*Canon 1130*

Rev.mus Relator proponit ut hic canon supprimatur, quia ex canone praecedenti, modo approbato, iam non protrahi potest separatio ultra sex menses, sine interventu competentis auctoritatis, et ideo determinationes can. 1130 sunt inutiles.

Exc.mus undecimus Consultor et Rev.mi decimus, duodecimus, septimus et secundus Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

Exc.mus quintus Consultor censet can. 1130 non esse inutilem, etiam post approbationem canonis praecedentis.

Aliqui Consultores censem saltem quaedam elementa can. 1130 retinendi posse, ex. gr. exceptio contra possibilitatem rursus admittendi coniugem ad vitae consortium si «ille statum matrimonio contrarium suscepere» (Rev.mus primus Consultor), vel ipsa facultas quam habet coniux innocens ut possit denuo «admittere aut revocare» coniugem adulterum (Rev.mus octavus Consultor).

Suffragatur utrum placeat supprimere can. 1130 necne:

Placet 9; placet iuxta modum 2.

*Modus:*

Retineatur canon ex parte et ita redigatur: «Potest laudabiliter coniux innocens alterum coniugem ad vitam coniugalem admittere, quo in casu obligatio sententiae separationis, forte latae, cessat» (Rev.mus quartus Consultor).

Suffragatur utrum placeat haec formula proposita a Rev.mo quarto Consultore necne:

Placet 4; non placet 4; placet iuxta modum 3.

*Modi:*

(1) formula Rev.mi quarti Consultoris ita mutetur: «Potest... admittere, nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium suscepere, quod si admittat, obligatio sententiae etc...».

Placet 1; non placet 10.

(2) dicatur «rursus admittere» (Rev.mus sextus Consultor):

Placet 6; non placet 4; abstinet a sententia ferenda 1.

(3) dicatur «quo in casu iuri separationis renuntiat» loco «quo in casu obligatio sententiae etc...» (Rev.mus Relator):

Placet 6; non placet 3; abstinent a sententia ferenda 2.

**Adunatio V<sup>1</sup>**  
die 8 novembris 1972 – vespere habita

*Canon 1131 (de aliis causis separationis)*

Rev.mus Relator censet quod primae duae causae recensitae in can. 1131, § 1, scilicet «si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit» et «si prolem acatholice educaverit», supprimi debent, quia parum convenient cum doctrina Declarationis *Dignitatis Humanae*, Conc. Vat. II. – Aliae vero causae, in ipso canone recensitae, in una formula generali comprehendi possunt hoc modo:

«Si alter coniux gravi culpa vitam communem periculosam vel nimis duram reddat, alter ius habet discedendi, salvo recursu illius ad iudicium, Ordinarii loci».

Circa hanc quaestionem, hae sunt praecipuae sententiae Consultorum:  
Aliqui remittere volunt hanc materiam ad Conferentias Episcopales (Exc.mus undecimus Consultor et Rev.mus decimus Consultor).

Exc.mus undecimus Consultor etiam formulam proponit: «Conferentiae Episcopalis est alias causas determinare, ob quas separatio coniugum fieri possit».

Alii approbant formulam Rev.mi Relatoris tamquam principium generale in lege communi, quod tamen compleri debet a Conferentia Episcopali, cuius est causas determinare, attentis moribus et circumstantiis locorum (Rev.mi duodecimus, quartus et septimus Consultores).

Alii Consultores admittunt propositionem Rev.mi Relatoris (Rev.mi secundus, primus, octavus et sextus Consultores), etsi aliquid animadverunt circa redactionem formulae:

Rev.mus primus Consultor vult supprimere verba «gravi culpa», quia datur casus intolerabilis vitae communis etiam sine *gravi culpa* dantis causam. Praeterea melius qualificari debent verba «periculosam» et «duram». Separatio autem fieri non debet sine interventu publicae auctoritatis, nisi periculum sit in mora.

Rev.mus octavus Consultor concordat cum Rev.mo primo Consultore circa verba «gravi culpa». Praeterea clare apparere debet quod causa sepa-

rationis provenire potest sive ex intolerabili vita communis sive ex *nocumento proli ob pravam educationem*.

Rev.mus sextus Consultor censet formulam esse nimis genericam, quia aliquo modo innui debet ex quibus causis vita communis «periculosa» vel «dura» reddatur.

Post has animadversiones Rev.mus Relator ita suam formulam mutat:

«Si alter coniux gravi culpa vitam communem periculosam vel nimis duram reddat, alteri legitimam praebet causam discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de ea certo constet et periculum sit in mora».

Rev.mi decimus, duodecimus et quartus Consultores petunt ut fiat mentio facultatis Conferentiae Episcopalis determinandi alias causas separationis.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur: «... vitam communem *coniugi vel filiis* periculosam, vel nimis duram reddat...».

Rev.mus decimus Consultor proponit ut dicatur: «... nimis duram *vel impossibilem* reddat...».

Tandem Rev.mus Relator petit utrum placeat haec formula canonis 1131 necne:

«Si alter coniux gravi culpa vitam communem sive coniugi sive filiis periculosam vel nimis duram reddat, huic legitimam praebet causam discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de ea certo constet et periculum sit in mora».

Placet 5; non placet 2; placet iuxta modum 3.

*Modi:*

(1) deleantur verba «*gravi culpa*» (Rev.mi secundus et octavus Consultores):

Placet 7; non placet 3.

(2) dicatur «... *graviter* periculosam...» (Rev.mus primus Consultor):

Placet 3; non placet 5; abstinent a sententia ferenda 2.

(3) dicatur «... *ex sevitiis nimis* duram reddat...» (Rev.mus primus Consultor):

Placet 2; non placet 8.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut redigatur § 2 can. 1131 his verbis: «Conferentiarum Episcoporum est alias causas, pro moribus populo- rum et locorum circumstantiis, statuere».

Suffragatur utrum placeat haec § 2 necne:  
Placet 6; placet iuxta modum 1; non placet 3.

*Modus:*

Dicatur «Conferentiarum Episcoporum est causas separationis, pro...» (Rev.mus primus Consultor):

Placet 7; non placet 3.

Rev.mus Relator proponit ut addatur § 3, his verbis redacta: «Causa separationis cessante, ius et officium ad vitae coniugalis communionem reviviscunt».

Exc.mus undecimus Consultor proponit hanc formulam § 3: «In omnibus casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est».

Suffragatur utrum placeat formula Exc.mi undecimi Consultoris necne:  
Placet 9; placet iuxta modum 1.

*Modus:*

Formula ita compleatur «..., nisi in decreto separationis aliter statutum sit»:

Placet 5; non placet 5.

*Canon 1132 (de filiorum educatione)*

Circa educationem filiorum in casu separationis coniugum Rev.mus Relator hanc novam formulam proponit: «Nihil de separatione coniugum legitime decernitur nisi salvo iure filiorum ad educationem spiritualem et civilem».

Rev.mus sextus Consultor salvare vellet favorem coniugis innocentis circa educationem filiorum, sed alii preeferunt ut nihil dicatur de hoc favore in Codice, quia in hac materia attendenda sunt circumstantiae concretae personarum.

Exc.mus undecimus Consultor proponit hanc formulam:

«Instituta separatione coniugum, opportune semper cavendum est de educatione filiorum religiosa et civili».

Suffragatur utrum placeat formula Exc.mi undecimi Consultoris necne:

Placet 6; non placet 1; placet iuxta modum 3.

*Modus:*

Dicatur «... de educatione filiorum catholica et civili» (Rev.mi quartus, secundus et primus Consultores):

Placet 7; non placet 2; abstinet a sententia ferenda 1.

**Adunatio VI<sup>a</sup>**  
**die 9 novembris 1972 – mane habita**

*De matrimonii convalidatione simplici*

Antequam examinentur singuli canones, Consultores discussionem habent de convalidatione simplici in genere, utrum scilicet systema nunc vigens in Codice servandum sit necne.

Praecipuae sententiae sunt sequentes:

Aliqui petunt ut systema convalidationis simpliciori modo construatur et introducatur determinatum tempus cohabitationis coniugalis voluntariae, quo elapso matrimonium nullum ob causam iuris positivi ipso iure convalidatur (Exc.mus undecimus Consultor, Rev.mus Relator, Rev.mus duodecimus Consultor).

Quidam Consultores animadvertisunt renovationem consensus non esse necessariam. Supponitur matrimonium celebratum fuisse debita forma et debito consensu, et validitati obstare tantummodo impedimentum dirimens in celebrando matrimonio neglectum. Si impedimentum cesseret vel dispensesetur, per se sufficit ad matrimonium convalidandum ut consensus perseveret. Unde renovatio consensus potest non requiri a iure (Rev.mi quartus, septimus et sextus Consultores).

Alii Consultores, etsi non respuant propositum reducendi ad simpliciorrem formam systema convalidationis, volunt ut substantia huius systematis servetur prout est in can. 1133, ubi requiruntur cessatio impedimenti et

renovatio consensus. Talis enim renovatio consensus est necessaria vel valde opportuna (Exc.mus quintus Consultor, et Rev.mi secundus, primus et octavus Consultores).

Rev.mus Relator proponit ut examinentur singuli canones, ita ut habeatur basis magis concreta et determinata pro discussionibus faciendis et ad mutationes proponendas.

#### *Canon 1133, § 1*

Rev.mus Relator ex discussione habita arguit omnes Consultores concordare circa primam partem can. 1133, § 1, id est ad convalidationem matrimonii requiri «ut cesset vel dispensetur impedimentum»; non omnes autem Consultores concordare circa aliam partem, scilicet circa necessitatem renovationis consensus. Haec alia quaestio dirimi debet per suffragationem.

Rev.mus sextus Consultor animadvertisit necessitatem remotionis impedimenti et necessitatem renovationis consensus non esse eiusdem momenti. Consequenter in redactione canonis haec discrepancia in lucem poni debet. Formula ita redigi posset:

«Ad convalidandum matrimonium... requiritur ut, cessato vel dispensato impedimento, consensum renovet...».

Suffragatur utrum placeat can. 1133, § 1 prout est in Codice necne:

Placet 6; placet iuxta modum 4.

#### *Modus:*

Dicatur «... requiritur ut cessato vel dispensato impedimento, consensum renovet...»:

Placet 4; non placet 5; abstinet a sententia ferenda 1.

#### *Canon 1133, § 2*

Formula Codicis ita dicit:

«Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit».

Rev.mus primus Consultor putat quod redactio huius canonis, prout iacet, ingenerare potest aliquem errorem, quia, si consensus initio praestitus non fuit, renovatio consensus requiritur non solum iure ecclesiastico, sed etiam iure naturae.

Rev.mus octavus Consultor censet secundam partem huius normae (etiamsi... etc...) esse superfluam, quia si initio consensus praestitus non fuit, servari debet can. 1136.

Rev.mus Relator concordat cum Rev.mo octavo Consultore circa suppressionem secundae partis huius normae, sed in § 1 vult addere haec verba: « ... dummodo altera pars in consensum perseveret ».

Suffragatur utrum placeat can. 1133, § 2 prout est in Codice:

Placet 7; non placet 1; placet iuxta modum 2.

*Modi:*

(1) dicatur «ad validitatem convalidationis» (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 4; non placet 4; abstinent a sententia ferenda 2.

(2) dicatur «si» loco «etiamsi» (Rev.mus primus Consultor):

Placet 2; non placet 8.

**Adunatio VII<sup>a</sup>**  
**die 9 novembris 1972 – vespera habita**

*Canon 1134*

Formula Codicis ita dicit:

«Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse».

Rev.mus quartus Consultor dicit se dubitare utrum redactio huius canonis, prout est in Codice, sit bona necne et num revera exprimat quod exprimere vult, ut scilicet consensus qui renovatur easdem qualitates habere debet ac consensus qui requiritur pro celebratione matrimonii.

Rev.mus secundus Consultor item censet redactionem canonis non esse bonam, quia casus dari potest non solum de matrimonio *quod constet* ab initio nullum fuisse, sed etiam de matrimonio *quod dubium sit* an nullum fuisset.

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur: « ...in matrimonium, quod sciatur vel timeatur ab initio nullum fuisse ».

Rev.mus octavus Consultor censet can. 1134 supprimi posse, qui est simplex explicatio canonum praecedentium.

Rev.mus quartus Consultor e contra censet can. 1134 non esse superfluum, quia declarat necessitatem novi actus voluntatis, vere consensualis, qui versari debet circa idem matrimonium, quod constet ab initio fuisse nullum.

Etiam Rev.mus secundus Consultor censet hunc canonem esse necessarium, quia secus posset quis putare renovationem consensus haberi per ipsam prosecutionem vitae coniugalis, sine positivo novo actu voluntatis.

Rev.mus sextus Consultor dicit canonem esse superfluum, quia renovatio consensus importat semper novum actum voluntatis, quin id expresse dicatur.

Exc.mus undecimus Consultor censet canonem esse necessarium, quia per ipsum definitur *quomodo* consensus renovandus sit.

Item Rev.mus Relator censet canonem esse necessarium, quia requirit ut consciī sint de nullitate proprii matrimonii et de facultate quam habent recedendi a matrimonio vel renovandi consensum.

Suffragatur utrum placeat retinere can. 1134 prout est in Codice necne:

Placet 4; non placet 2; placet iuxta modum 4.

*Modi:*

(1) dicatur «... in matrimonium quod ratione impedimenti nullum fuit» (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 4; non placet 6.

(2) dicatur: «... debet esse novus voluntatis actus, ad normam can. 1081, in matrimonium quod...» (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 2; non placet 8.

(3) dicatur: «... in matrimonium quod renovans sciat aut opinetur ab initio...» (Rev.mus primus Consultor):

Placet 7; non placet 1; abstinent a sententia ferenda 2.

(4) dicatur: «... in matrimonium convalidandum», loco «in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse» (Rev.mus Relator):

Placet 3; non placet 7.

Post approbationem modi sub (3), Consultor Rev.mus octavus Consultor dicit se persuasum esse ex hoc canone orituram esse magnam confusionem: ex. gr. qui *erronee* opinetur suum matrimonium (objective validum) nullum fuisse ob aliquod impedimentum, *tenetur* ad renovandum consensum.

Rev.mus secundus Consultor negat conclusionem Rev.mi octavi Consultoris, quia, dicit ipse, sensus canonis iste est: qui renovat consensum, *debet* elicere *novum* actum voluntatis.

Post hanc animadversionem Rev.mi octavi Consultoris, Rev.mus Secretarius petit utrum placeat stare in decisio necne:

Placet 6; non placet 3.

#### Canon 1135, § 1

Formula Codicis ita dicit:

«Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma iure praescripta».

Rev.mus duodecimus Consultor animadvertisit: si «publicum» intelligitur ut in can. 1037 — quod probari in foro externo potest — iste can. 1135, § 1 servari potest; si intelligitur «publice notum», haec norma deliri potest, quia hodie impedimenta aetatis, professionis religiosae, ligaminis etc. non solent esse publica hoc sensu.

Rev.mus Secretarius monet Consultores ut prae oculis habeat can. 1037 prout nunc est in nostro schemate, id est:

«Publicum censetur impedimentum quod publico ex facto oritur vel quod alio modo probari in foro externo potest; secus est occultum».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut in praesenti canone 1135 addatur salvatio can. 1099, § 3 (de facultate Ordinarii dispensandi a forma canonica in matrimonii mixtis) et can. 1103 (de adnotatione matrimonii).

Rev.mus Relator notat salvationem can. 1103 non esse necessariam, quia casus adnotationis matrimonii convalidati iam praeoccupatus est in can. 1103 ter.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut can. 1135 ita redigatur: «Si impedimentum probari possit, consensus ab utraque parte etc...».

Ill.mus tertius Consultor non approbat propositionem Rev.mi secundi Consultoris, quia in his canonibus de convalidatione lex succurrere intendit casibus in quibus *constat* matrimonium fuisse nullum; iamvero illud «probari potest» non semper implicat quod nullitas cognoscatur.

Suffragatur utrum placeat formula Rev.mi secundi Consultoris: « Si impedimentum probari possit, consensus ab utraque parte renovandus est forma canonica »:

Placet 5; non placet 1; placet iuxta modum 3.

*Modi:*

(1) dicatur « Si impedimentum probari possit *in foro externo*, consensus etc... » (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 4; non placet 5.

(2) compleatur canon his verbis: « salvo praescripto can. 1099, § 3 » (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 5; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

(3) dicatur « forma iure praescripta » loco « forma canonica » (Rev.mus sextus Consultor):

Placet 2; non placet 5; abstinent a sententia ferenda 2.

(4) dicatur « Si impedimentum sit publicum, consensus ecc... » (Rev.mus Relator):

Placet 5; non placet 2; abstinent a sententia ferenda 2.

(5) dicatur « servatis canonibus 1094-1099 » loco « forma canonica » (Rev.mus Relator):

Placet 4; non placet 5.

Adunatio VIII<sup>a</sup>  
die 10 novembris 1972 – mane habita

Huic conventui praeest Em.mus Cardinalis Praeses.

*Canon 1135, §§ 2 et 3*

Rev.mus secundus Consultor proponit ut §§ 2 et 3 can. 1135 in unum redigantur hoc modo:

«§ 2. – Si impedimentum probari nequeat, satis est ut consensus reno-

vetur privatim et secreto, et quidem saltem a parte impedimenti conscientia, altera perseverante in consensu praestito».

Suffragatur utrum placeat §§ 2 et 3 in unum redigere necne:

Placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

Ad formulam quod attinet, sive Rev.mus decimus Consultor sive Rev.mus quartus Consultor petunt ut fiat expressa mentio etiam de hypothesi quando impedimentum occultum sit utriusque parti notum. Ipse Rev.mus quartus Consultor proponit ut formula Rev.mi secundi Consultoris ita compleatur: «Si impedimentum probari nequeat, satis est ut consensus renovetur privatim et secreto; et quidem a parte impedimenti conscientia, altera perseverante in consensu praestito, vel ab utraque parte si utraque pars noverit impedimentum».

Suffragatur utrum placeat haec formula emendata a Rev.mo quarto Consultore necne.

Placet 5; placet iuxta modum 5.

*Modi:*

(1) ultima verba ita corrigantur: «... vel ab utraque parte, si impedimentum sit utriusque parti notum» (Exc.mus quintus Consultor):

Placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) dicatur: «dummodo altera in consensu praestito perseveret» loco «altera perseverante in consensu praestito» (Rev.mus decimus Consultor):

Placet 8; non placet 2.

(3) initio dicatur: «Si impedimentum non sit publicum, satis est etc...» (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 4; non placet 5; abstinet a sententia ferenda 1.

Circa modum renovandi consensum de quo in § 2, Rev.mus quartus Consultor censet non esse necessarium ut consensus renovetur expressis verbis, sed sufficere ut renovetur tacite in continuatione conversationis cum maritali affectu. Ideo ipse Consultor proponit ut addatur § 3 his verbis: «Haec renovatio fieri potest vel expressis verbis vel per spontaneam consuetudinem maritali affectu habitam».

Rev.mus Secretarius et Rev.mus secundus Consultor censem hanc § 3 esse superfluam, quia in casu requiritur et sufficit *intentio* renovandi consensum, quomodocumque haec intentio ad actum ducatur.

Suffragatur utrum placeat propositio Rev.mi quarti Consultoris necne:  
Placet 1; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

*Canon 1136, § 1*

Suffragatur utrum placeat § 1 prout est in Codice necne, scilicet:  
«Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars  
quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte  
praestitus perseveret».  
Placet 8; placet iuxta modum 2.

*Modus:*

Dicatur «... dummodo altera pars consensum praestitum non revoca-  
verit», loco «dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret»:  
Placet 3; non placet 5; abstinent a sententia ferenda 2.

*Canon 1136, §§ 2 et 3*

Rev.mus quartus Consultor proponit ut § 2 supprimatur, quia agit de  
facto mere interno, quod non intrat in provincia iuris.  
Suffragatur utrum placeat propositio Rev.mi quarti Consultoris necne:  
Placet 3; non placet 5; abstinent a sententia ferenda 2.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut §§ 2 et 3 redigantur hoc modo:

«§ 2. – Si defectus consensus probari nequeat, satis est ut pars quae non  
consenserat privatim et secreto consensus praestet; et quidem interius si  
defectus alteri parti sit ignotus, secus coram altera parte.

§ 3. – Si defectus consensus probari possit, necesse est ut consensus  
forma canonica praestetur».

a) *de § 2*

Quoad § 2 sequentes animadversiones habentur:

Exc.mus quintus Consultor: ad logicam hius canonis nihil refert quod

defectus consensus probari possit vel non; ideo non placet mutatio inducta a Rev.mo secundo Consultore.

Rev.mus quartus Consultor: si defectus consensus sit notus alteri parti, melius est ut consensus praestetur forma canonica.

Suffragatur utrum placeat § 2 necne:

Placet 3; non placet 5; placet iuxta modum 2.

*Modus:*

Supprimatur secunda pars «et quidem interius si defectus etc...» (Rev.mi primus et sextus Consultores):

Placet 6; non placet 4.

Deinde adhuc suffragatur utrum placeat necne § 2 ita redacta: «Si defectus consensus probari nequeat, satis est ut pars, quae non consenserat, privatim et secreto consensum praestet»:

Placet 8; non placet 1; placet iuxta modum 2.

*Modi:*

(1) dicatur initio «Si defectus consensus fuerit mere internus...» (Exc.mus quintus Consultor):

Placet 2; non placet 3.

(2) dicatur «Si defectus consensus fuerit occultus... » (Rev.mus decimus Consultor):

Placet 1; non placet 9.

b) *de § 3*

Suffragatur utrum placeat § 3 necne:

Placet 4; non placet 3; placet iuxta modum 2; abstinet a sententia ferenda 1:

*Modi:*

(1) dicatur «forma legitima» loco «forma canonica» (Rev.mus decimus Consultor):

Placet 2; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) dicatur «Si defectus consensus sit publicus...» (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 1; non placet 9.

*Canon 1136 bis*

Rev.mus Relator proponit ut saltem pro quibusdam casibus, statuatur determinatum tempus cohabitationis coniugalis voluntariae, quo elapso, matrimonium nullum ipso iure convalidatur.

Rev.mus Relator petit ut discussio fiat super hanc formulam novi canonis, quam ipse, Rev.mum quartum Consultorem sequens, ita proponit:

§ 1. «Nisi actio ad petendam nullitatem vel separationem sit instituta, matrimonium nullum ob vim et metum aut ob dolum convalidatur ipso iure per liberam cohabitationem quae per tres annos duret a momento cessationis metus vel detecti doli».

§ 2. «Etiam matrimonium nullum ob totalem simulationem consensus convalidatur per cohabitationem triennalem sub clausulis in § 1 statutis».

Cardinalis Praeses exprimit suam sententiam contra introductionem huius normae in Codicem novum, quia non potest suppleri per legem consensus qui a partibus praestari debet etiam in casu convalidationis.

Exc.mus quintus Consultor et Rev.mus decimus Consultor concordant cum Praeside. Imo Rev.mus decimus Consultor dicit per hunc canonem subverti totum sistema nostri Codicis, quin difficultates tollantur; si enim hic canon approbaretur, difficile esset determinare in quonam momento matrimonium sit convalidatum et ideo fiat sacramentum.

Adunatio X<sup>a</sup>  
die 10 novembris 1972 – vespere habita

Discussio habetur de novo canone 1136 bis, a Rev.mo Relatore proposito in conventu matutino.

Rev.mus duodecimus Consultor votum exprimit ut hic canon recipiatur in Codicem, ad vitandos quosdam casus solutionis consortii coniugalis, qui scandalum faciunt in Ecclesia.

Rev.mus quartus Consultor censet canonem novum approbari posse, quia convalidatio ex iure habetur quando verificantur aliquae conditiones, ex quibus iam sufficienter concludi potest renovationem consensus, saltem

tacitam, habitam esse. Tales conditiones sunt cessatio impedimenti et perduratio libera cohabitationis per tres annos a momento cessationis impedimenti.

Objectiones factae contra hunc canonem, de consensu scilicet qui a nulla potestate suppleri potest, suum momentum habent contra § 2 huius canonis, quia in casu simulationis revera defuit consensus; sed non idem momentum habent contra § 1, quia in casu metus et doli consensus revera praestitus fuit.

Rev.mus secundus Consultor censem cohabitationem non esse signum certum renovationis consensus, etsi tacitae, quia ex solo facto cohabitationis non potest demonstrari partem habuisse simul *intentionem* renovandi consensum, quae autem intentio semper requiritur.

Rev.mus octavus Consultor concordat cum Rev.mo secundo Consultore. Ipse Rev.mus octavus Consultor, una cum Rev.mo primo Consultore, censem ex cohabitatione haberri *praesumptionem* renovationis consensus, non autem probationem.

Rev.mus Relator refert quosdam canonistas putare in casu metus et doli consensum praestitum fuisse ab initio in tota sua integritate, etsi vitiatum fuisset ex circumstantiis externis (vi et metu vel dolo), quae a iure ut invalidantes habentur. His circumstantiis demptis, consensus praestitus ab initio persisit in tota sua integritate, et ideo lex potest statuere convalidationem ex iure vel negare actionem ad petendam nullitatem.

Rev.mus decimus Consultor dicit sententiam Rev.mi Relatoris non esse veram in omnibus casibus, quia aliquando illae circumstantiae non sunt tantum externae et inficiunt ipsam substantiam consensus.

Rev.mus Secretarius non admittit suggestionem Rev.mi Relatoris, quia si consensus revivisceret, non videtur cur transire debeant tres anni ad declarandam convalidationem matrimonii ex iure.

Rev.mus quartus Consultor admittit quod spatium trium annorum theoretice non esset necessarium, quia statim ac cesseret impedimentum convalidari posset ex iure matrimonii; tamen attendi debet ad psychologiam coniugum, qui post cessationem metus vel doli, pedetemptim ad communionem vitae pervenient. Hac de causa potius quam dicere «matrimonium convalidatur ex iure», dici posset «convalidatur ex tacito consensu».

Post hanc discussionem suffragatur utrum placeat § 1 novi canonis necne:  
Placet 2; non placet 7.

Attento exitu huius suffragationis, Rev.mus quartus Consultor renuntiat sua propositioni et ideo non fit suffragatio de § 2.

Quoniam autem in discussione aliqui Consultores locuti sunt de prae-  
sumptione renovationis consensus, quae haberi potest ex facto cohabitatio-  
nis post cessationem metus vel doli, fit suffragatio utrum placeat introdu-  
cere in hunc canonem saltera principium praeceptionis convalidationis  
necne:

Placet 4; non placet 5.

*Canon 1137*

Rev.mus Relator proponit hanc fomulam:

« Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi  
denuo debet legitima forma, salvo praescripto can. 1099, § 3 ».

Canon omnibus placet.

CANONES

*Can. 1127 bis*

Matrimonium initum a partibus, quarum una saltem baptizata non  
fuit, a Romano Pontifice dissolvi potest in favorem fidei, dummodo matri-  
monium non fuerit consummatum postquam coniugati fuerint.

Art. II – *De separatione manente vinculo*

*Can. 1128*

Coniuges habent ius et officium servandi communionem vitae coniu-  
galis, nisi legitima causa eos excuset.

*Can. 1129*

§ 1. – Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius  
habet solvendi vitae coniugalnis communionem, nisi in adulterium consen-  
serit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit,  
vel ipse quoque adulterium commiserit.

§ 2. – Tacita condonatio habetur si coniux innocens, postquam de adulte-  
rio certior factus est, sponte cum altero coniuge maritali affectu conversatus

fuerit; praesumitur vero si per sex menses vitae coniugalis communionem servaverit, neque recursum apud Auctoritatem ecclesiasticam vel civilem fecerit.

§ 3. – Si coniux innocens sponte vitae coniugalis communionem solverit, debet intra sex menses causam separationis deferre ad competentem auctoritatem, quae, omnibus consideratis circumstantiis, decernat utrum separatio legitime protrahi possit sive temporanea sive perpetua.

*Can. 1130*

Potest laudabiliter coniux innocens alterum coniugem ad vitam coniugalem rursus admittere, quo in casu iuri separationis renuntiat.

*Can. 1131*

§ 1. – Si alter coniux vitam communem sive coniugi sive filiis periculosa vel nimis duram reddat, huic legitimam praebet causam discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de ea certo constet et periculum sit in mora.

§ 2. – Conferentiarum Episcoporum est causas separationis, pro moribus populorum et locorum circumstantiis, statuere.

§ 3. – In omnibus casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est (nisi in decreto separationis aliter statutum sit).

*Can. 1132*

Instituta separatione coniugum, opportune semper cavendum est de educatione filiorum catholica et civili.

CAPUT XI

*De matrimonii convalidatione*

Art. I – *De convalidatione simplici*

*Can. 1133*

§ 1. – Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut casset vel dispensemur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscientia.

§ 2. – Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem (con-validationis), etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit.

*Can. 1134*

Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod renovans sciat aut opinetur ab initio nullum fuisse.

*Can. 1135*

§ 1. – Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma canonica, salvo praescripto can. 1099, § 3.

§ 2. – Si impedimentum probari nequeat, satis est ut consensus renovetur privatim et secreto; et quidem a parte impedimenti conscientia, dummodo altera in consensu praestito perseveret, vel ab utraque parte, si impedimentum sit utriusque parti notum.

*Can. 1136*

§ 1. – Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret.

§ 2. – Si defectus consensus probari nequeat, satis est ut pars, quae non consenserat, privatim et secreto consensum praestet.

§ 3. – Si defectus consensus probari possit, necesse est ut consensus forma canonica praestetur.

*Can. 1137*

Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma, salvo praescripto can. 1099, § 3.